PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XLII / FASC. II
15 iun. 1953

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1953

FASCICULI
INDEX ANALYTICUS

I - Dissertationes et quaesita varia

II - Monumenta

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

DE CASTIMONIA REQUISITA IN SACRORUM ALUMNIS *

Ad normam can. 974 § 2 « ut quis licite ordinari possit requiruntur mores ordini recipiendo congruentes ». Nemo est qui ignoret ad hos mores pertinere, praeter alia castitas, qua servanda et servata candidatus experimento probet et ostendat, se aptum esse, qui postea, obligationi caelibatus per integram vitam servandi satisfacere cum auxilio gratiae divinae velit et valeat. Castimonia inquam qua sacrorum alumni non solum a matrimonio contrahendo — cum ad maiores ordines erunt promoti — perpetuo arcebuntur, sed quae etiam perfecte erit custodienda ut contra eam peccantes sacrilegio quoque maculentur [1].

Quamobrem SS. D. Pius Papa XII eos alloquens « qui clericorum moribus effingendis dant operam » id — ait — « summe spectent, opus est, ut iidem virtutes eas complectantur quas Ecclesia a Sacerdotibus postu-

---

* Dissertatio practicum finem habet. Eam conscripsi ut morem sacerdoti gererem qui cum operam peculiariter det spiritualibus exercitiis seminariorum alumnis tradendis me iterum iterumque rogavit quid — attentis postremis Summorum Pontificum ac publicis S. S. documentis et normis particularibus quae hac de re sive datae sint sive edici possint — tenendum sit in seminaristarum confessionibus audiendis quod ad castitatem ordinibus suscipiendis collatam refert.

1 C. I. C. can. 132 § 1. Cfr. Inst. S. C. de Sac. « Ingens » 27 dec. 1930 § 2. n. 5 A. A. S. vol. XXXIII p. 121.

lat ... ex quibus ... facere non possumus quin ad eas incitemus quibus veluti fundamentis tota sacerdotum sanctitas nititur ». Ac postquam eos ad obedientiae studium adhortatus est prosequitur: « vigil cura adhibenda est ut sacrae militiae tirones, magni ducant, ament atque in animo suo *pudicitiam* tueantur, quippe in qua sit magnam partem positum, quod eiusmodi vitae genus iidem sibi constituant in eoque permaneant ... Cohortandi etiam sunt a prima aetatula ab periculis praecaveant, ad eas confugiendo cupiditatum comprimendarum rationes, quas caelestium magistri suadeant » [2].

Castimonia tam fundamentalis est pro seminaristis tamque necesse est ut ii angelicam virtutem praeclarissimum catholici sacerdotii ornamentum complectantur, ut in ea defecti, sacerdotali vocatione re ipsa careant. En clarissima verba i. m. Pii Papae XI: « qui ad sacrum huiusmodi institutum » — sacerdotii — « ea una nobilique de causa contendat, ut divino famulatui animarumque saluti se dedat; simulque et solidam pietatem et probatam *vitae castimoniam* et consentaneam, ut diximus, doctrinam assecutus sit vel assequi nitatur, is profecto ut perspicuo patet, ad sacerdotale ministerium a Deo vocatur ... qui peculiari modo ad libidinis illecebras sese pronum impertiat, neque iam diu experiendo ostenderit illius dehonestamenta effugere non posse, hi omnes ad sacrum hoc munus ineundum non nati aptique sunt » [3].

Hac etiam de causa idem Pius XII in sermone d. 24 iunii 1939 quem habuit in palatio apostolico vaticano ad alumnos seminariorum, collegiorum et institutorum utriusque cleri atque ex omni gente qui in alma urbe ad sacerdotium efformabantur, quique, ut ipse dixit, vi-

---

[2] Pius XII. *Adhortatio Apostolica ad clerum universum;* d. 2 oct. 1950 A. A. S. vol. XXXXII p. 689 cfr. quae dicuntur p. 663 et 664, 682-684.

[3] Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii;* d. 20 dec. 1935 A. A. S. vol. XXVIII p. 40.

ces gerebant omnium illorum iuvenum ad millia bene multa qui toto terrarum orbe sese sacerdotio vovere cupiunt, gravissimis verbis atque memorabili vocis impetu monebat: « si qui deprehenderint se impares esse ad illum » — *caelibatum* — « servandum alio se conferant ubi aetatem honeste ac fructuose transigant quam non sine salutis aeternae discrimine et Ecclesiae dedecore in Sanctuario essent acturi »[4].

Et immortalis memoriae Pius XI: « Moderatores, animorum disciplinae rector ac confessarii ... quemadmodum hanc, divino instictu inditam, ad ineundum sacerdotium inclinationem omni ope fovere ac roborare debent, ita eos eodem diligentiae studio opportunoque tempore a sacro Ordine arceant quos non idoneos perspexerint atque adeo inutiles ad digne sacerdotalia officia sustinenda »[5]. « Quodsi quis clericorum hac in re — *castimoniae* — ad malum se praestiterit proclivem, neque experimento per aequum temporis spatium capto, ab improba propensione se removerit, is erit utique e Seminario exigendus antequam sacris ordinibus initietur ».

Seminarii alumni probatae castitatis expertes aut *sua sponte alio se conferant* aut *delectu*, consentanea diligentia, facto a quotquot in Seminariis cleri conformatione praeponuntur ab ordinibus sint arcendi *a Seminario eiciantur* » haud nimio serius « quod mora soleat hisce de rebus et errores inducere et detrimenta afferre ». Quod si « quaelibet remorandi causa fuerit, cum primum e recto itinere deerratum esse aperte patuerit cum nullo hominum respectu, vitio medendum est »[6],

---

4 d. 15 iul. 1939 A. A. S. vol. XXXIX p. 245.

5 Encycl. *Ad cath. sac.* 20 dec. 1935 A. A. S. vol XXVIII p. 39.

6 PIUS XI: Encycl. *Ad cath. sac.* 20 dec. 1935. A. A. S. vol. XXVIII p. 40. Hac de re dicitur in Instructione ad R.mos Locorum Ordinarios de scrutinio alumnorum peragendo antequam ad ordines promoveantur a S. C. de Disciplina Sacramentorum data

Quibus vero hanc ineundi deliberationem — scilicet seminaristam non idoneum e Seminario pellendi — officium est eos non falsi nominis misericordia moveat, quae non modo in Ecclesiam cui quidem iners vel indignus minister praeberetur, sed in ipsum iuvenem crimen evaderet »[7].

Hucusque dicta eloquentibus verbis ea resonant ac complent quae canone 1371 praescribuntur: « E Seminario dimittantur ... ii qui ob mores atque indolem ad statum ecclesiasticum idonei non videantur ... praesertim vero *statim dimittantur qui forte contra bonos mores* aut fidem *deliquerint* ».

Inter bonos igitur mores sine quibus nemo ad ordines licite promoveri potest eminet probata castitas, quae cum deerit, alumnis sacro ministerio renuntiare necesse est et Seminarium relinquere; secus ab eo tempestive, haud serio opera superiorum exigi. At quaestionis difficultas in eo est: quinam seminariorum alumni, sunt habendi ut privati ea castimonia quam postea, ad sacerdotium evecti, praestent atque confirment?

Hic labor, hic opus. Consideranti, vel leviter, natu-

---

d. 1 apr. 1931 A. A. S. vol. XXIII § 1, n. 3 p. 121. Quae ut probe exsecutioni demandentur, Episcopus seu Ordinarius in perscrutandis moribus eorum qui adscribi petunt sacrae militiae, prae oculis habeant oportet, maxime interesse ut a limine eiciantur, seu ne ad tonsuram et minores Ordines admittantur ii, qui sacerdotio fungendo non sint apti, seu a Deo non sint vocati. Nam sacri Ordines, iuxta sacrorum canonum praescriptum, sub finem curriculi studiorum conferuntur: sed « turpius eicitur, quam non admittitur hospes », videlicet nemo nescit quam sit grave et difficile negotium iuvenem dimittere quum pene absolverit studia theologica, nedum ob iam progressam aetatem, quocirca non facilis patet via ad aliud capessendum vitae et studiorum institutum, sed etiam ob humanarum relationum respectum, praecipue cum consanguineis et amicis, qui soliti sunt culpae vertere, seu levitati ingenii huiusmodi mutationes in vitae ratione, unde fit ut nullus non moveatur lapis ut ultra procedat qui eatenus progressus est ».

[7] Pius XII. Encycl. *Ad cath. sac.* A. A. S. vol. XXVIII p. 240.

ram rei de qua agitur facile occurret vix aut ne vix quidem veram accuratam atque definitam regulam dari licere.

Ex communiter contingentibus id coniectura asseri valet: neque omnes seminaristae qui toto eorum formationis tempore illibate castimoniam servant postea, sacerdotes facti, nunquam luxuriae illecebris succumbent, neque omnes qui intra Seminarii saepta contra eam aliquoties deliquerunt, ad sacros ordines promoti, vitae castae integritate deficerent vel deficient.

Accidet ut nonnulli qui in Seminario vel propter pium atque seclusum vitae genus, vel quoniam physiologica concupiscentiae incitamenta tunc experiri incipient cum volventibus annis grandiores fient, nullis aut levissimis castitatis periculis occurrerunt; postea, in medium mundum cuius multiplices insidias ignorant coniecti, ad incontinentiam improvidi et quasi necopini labentur.

Contra ea: Mater Ecclesia sacerdotes atque episcopos sanctos veneratur qui ante eorum conversionem carnis vitio irretiebantur, ac bene multos ad sacerdotium evexit qui cum etiam in Seminario contra castitatem, aliquando peccassent, Dei gratia suffulti, castissima sacerdotalem vitam egerunt.

Adeo hac in re, et qui stat cadere; et qui cecidit potest subrectus consistere. Stultus tamen esset qui contenderet habitum rei turpis, aut iterata peccata impudicitiae in Seminario, spem, cui credi possit, intemeratae vitae sacerdotalis secum ferre.

Solemnia documenta Summorum Pontificum Pii XII et, felicis recordationis, Pii XI cum eos describunt qui utpote ad sacros ordines ex defectu castimoniae ineptos e Seminario sunt detrudendi, normam dant generalem et potius ut ita dicam negativam quae, ut planum est, tanquam authentica can. 1371 interpretatio et cuiuscumque interpretationis fundamentum ac regula habenda est: « *Quae* — pudicitia — *praeterea cum in humana consortione in tanta incurrat pericula, in illorum animis iamdiu*

firmiterque inhaeserit ... Non modo igitur clerici certiores fiant quid sit sacerdotum caelibatus ab eisdemque servanda castitas, quidve ea officii exigat, sed de periculis etiam moneantur quae hanc ob rem afferri ipsis possint. Quodsi quis clericorum hac in re ad malum se praestiterit proclivem necue experimento capto, ab improba propensione se removerit, is utique e Seminario erit exigendus »[8].

Pius autem XI : « *Qui ad sacrum huiusmodi — sacerdotii — institutum ... se dedat simulque et solidam pietatem et probatam vitae castimoniam assecutus sit ... is profecto ad sacerdotale ministerium a Deo vocatur ... qui peculiari modo ad libidinis illecebras sese pronum impertiat, neque iam diu experiendo ostenderit illius de honestamenta effugere posse, hi omnes ad sacrum hoc munus non nati aptique sunt atque ideo si ab Seminarii aedibus non arceantur, difficilius in posterum inde se abducere poterunt* »[9].

Hanc prudentissimam normam R. P. Hürth ita sua sapientia evolvit : « Temerarium est velle assumere gravem obligationem ad caelibatum perpetuo servandum, nisi moralis certitudo et fundata est spes fore ut huic obligationi per promovendum satisfiat. Unde quaestio oritur quae integritas morum comprabata experimento per sufficiens tempus protracto talem certitudinem et spem fundare valeat et quid obligationis hac in re habeat.

Ipse candidatus sacri ordinis ex modo et consuetudine ante ordinationem revera servata, certus esse debet se sine nimia difficultate habitualiter castitatem perfectam observare et scandalum omne posse evitare, secus graviter peccat contra legem naturae quia statum assumit cuius obligationibus satisfacere impar est.

---

8 *Adh. Apost. ad clerum universum.* A. A. S. vol. XXXXII p. 690

9 Encycl. *Ad cath. Sac.* A. A. S. vol. XXVIII p. 40. Cfr. n. 9 § 2 praecitatae Instr. S. C. de Sacramentis, De scrutinio alumnorum ante sacros ordines peragendo. A. A. S. vol. XXIII p. 124.

Qui habitum pravum peccandi contra castitatem adhuc habet vel nonnisi in condicionibus maxime faventibus, e. g. in Seminario, a peccatis se liberum servat, in aliis circumstantiis autem, e. g. inter vacationes, semper in eadem peccata relabitur, vel solummodo ex brevi tempore a peccatis iterandis abstinuit; sufficientem certitudinem et comprobatam spem requisitam non habet.

De tempore per quod experimentum protrahi debeat, ut sufficiens certitudo acquiratur, norma absoluta difficulter ponitur; sed potius diuturnum quam breve tempus exigi debet; regulariter non sufficit nisi experimentum saltem plurium annorum.

At non solum tempus attendi debet neque ad sola peccata, (commissa vel non commissa ita in abstracto considerata); etiam attendi debet ad indolem sexualem, unde fluunt impulsus appetitus sexualis, et ad voluntatis dispositionem, quam candidatus relate ad eum tenet. Hyperesthesia sexualis, generatim, grave praeiudicium creat contra sacerdotium assumendum, praesertim si ad dispositionem hanc accedunt peccata, quae ostendant appetitum plus solito vehementem non sufficienter subesse voluntatis imperio. Qui dein detegitur nolle plene et sincere renuntiare etiam iis, quae natura sua praeparant et inducunt ad actus venereos, a statu sacerdotali omnino arceantur, si non possunt induci ut mentem et voluntatem mutent. Experientia enim teste, qui nolunt ex integro renuntiare carni et sensualitatibus, postea — auctis periculis et occasionibus, diminutis auxiliis externis — saepe saepius in gravia peccata labuntur et haud raro multis sunt scandalo, quamvis forte ante ordines susceptos peccata gravia luxuriae (habitualiter) non commiserint.

Ex altera parte exigendum non est, quod indolem naturae humanae lapsae superet, ne scl. candidatus sacerdotii ullam sentiat concupiscentiam rebellem carnis. Huic enim, qui ante sacros ordines eam superare assue-

factus est, etiam post sacram ordinationem cum gratia Dei resistere potest et resistet. Consolationi et confortationi candidato sacerdotii est, quod Concilium Tridentinum definivit: post ordinem sacrum susceptum obligationi caelibatus cum auxilio gratiae satisfieri posse ' cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus tentari ' (sess. 24, canones de Matr. can. 9) »[10].

Ut igitur candidatus de lege naturae licite ab ordines accedere possit certus esse debet se habitualiter facile servare posse castitatem perfectam. Qui habitu turpis peccati implicantur, qui nonnisi in circumstantiis peculiariter favorabilibus se castos servant, qui tantum a brevi tempore proclivitatem in malum superarunt; haud certi esse possunt necessario probata castimonia potiri. Qui hyperhesthesia sexuali laborant quiquo seriavoluntate carent plene et ex integro renuntiandi sensualitati, etiamsi in Seminario non peccaverint, gravem probabilemque suspicionem de ineptitudine ad futuram sacerdotalem castitatemafferunt. Omnes hi si et antequam ad ordines admittantur ad diuturnum experimentum (ut plurimum haud aliquot annorum) erunt subiciendi ».

Ac prosequitur P. Hürth: « confessarius principia modo exposita applicare debet ad casum particularem, consideratis simul circumstantiis particularibus ».

Ipse dat quattuor generales regulas quibus praedicta applicatio regitur, quaeque (tertia excepta) ab omnibus quorum est castitatem seminaristarum comprobare sunt tenendae: *a*) Id meminerit confessarius; « non subito fit mutatio moralis; obligatio vero caelibatus servandi, statim ab initio surget post susceptum ordinem sacrum. *b*) Lex ecclesiastica generalis, quae determinatum tempus probationis assignet, non habetur, nesque mechanice

---

[10] F. HÜRTH S. I. *De Statibus. Notae ad Praelectiones Theologiae Moralis* — Ad usum privatum — p. 16-18.

Confessarius determinatum tempus exigere debet; sed attendere debet ad legem naturae supra expositam. *c*) Si secundum hanc normam certo constat: candidatum non posse habere necessariam certitudinem de propria idoneitate ad obligationem caelibatus implendam, Confessarius sub denegata absolutione obligare debet poenitentem ut desistat ab ordine sacro, sive nunc, sive omnino suscipiendo, prout casus ferat. *d*) Curet et urgeat ne decisio differatur usque ad annum ordinationis sacrae recipiendae, sed firmiter insistat, ut antea fiat. Tandem dubie aptis suadeat ut sponte recedant »[11].

Libenter do, multos posse canonistas aut moralistas inveniri qui cum de candidatorum ad sacros ordines (et quidem ratione probatae castitatis) aptitudine agunt generalem Pontificum canonumque normam magis determinant et mitius loqui videntur.

Vide sis quae hac de re affert Regatillo tum sua, tum e Car. Iorio, Ferreres, Genicot, Vermeersch aliisque deprompta. Quod si feceris ne omittas extremam Patris sententiam animadvertere: « Hodie post Instructionem S. C. de Sacramentis 27 dec. 1930, aliquatenus severius quam antea sentiendum est »[12].

Exeunte anno 1949 prodiit « Directorium Seminariorum (in Sinis) » auctoribus PP. Missionariis Congregationis Immaculati Cordis Mariae (Scheut). Diversis in locis huius insignis operis, quaestio nostra magna eruditionis et documentorum et citationum copia sive directe sive indirecte pertractatur. Auctores normam generalem canonis minutatim explicant. Specimen harum explicationum afferam ut et optima quaedam adducam et simul e cautionibus et exceptionibus quibus ii peculiares regulas a se stabilitas saepiunt legentibus pateat

---

11 P. F. Hurth *op. cit.* p. 18.

12 Eduardus F. Regatillo. Ius Sacramentarium (ed. secunda) De requisitis in subiecto (ordinationis) praesertim n. 922.

quam difficile ne dicam vanum sit a norma vel a normis generalibus descendere.

« A Seminario minore » — memineris agi de Seminariis Sinarum — « arcendi sunt, aut si iam admissi e Seminario dimittendi: *a*) qui antea habebant consuetudinem peccandi cum alia persona, imo qui casum etiam unicum fornicationis deliberate admiserunt post adeptam pubertatem ... Exceptio admitti possit pro iuvene qui voluntate quidem firma et solida pietate praeditus, fraude potius ac dolo alieno ad peccandum semel fuit inductus. *b*) qui etiam ante pubertatem peccatum fornicationis admiserunt nisi hoc semel tantum aut bis evenerit, aut quasi fortuito; vel nisi constet post plures annos sedulae observationis nullam vehementem propensionem ad venerea ex illo peccato remansisse; *c*) qui numerosa peccata pollutionis plene voluntariae committunt ... Attamen alumnus qui crisim temporariam patitur magna cum patientia est adiuvandus neque de eo citius est desperandum; *d*) alumni qui post ingressum ... tactus graviter impuros ... semel et iterum committunt vel positive attemptant praesertim, si hoc fit tempore quo in Seminario ... [13]. E Seminario maiore dimittendi sunt: *a*) qui voluntarie recidivi in amicitiis sensualibus vulgo particularibus inveniuntur 'deficiente enim suo obiecto fit ut naturalis propensio ad alterum sexum, terminetur ad alia' (Vermeersch); *b*) qui tempore vacationum in commercio tam familiari quam epistolari cum feminis etiam piis delectationem quaerunt, vel qui libros prohibitos sensualitati faventes avide legunt; *c*) qui peccatum solitarium ... perdurantibus pluribus mensibus ... aut qui idem peccatum grave pluries per annum v. g. quatter vel septies voluntarie admittunt praesertim si agitur de alumno remissae voluntatis qui pietate non excellit » [14].

---

[13] Op. in textu citato, n. 561.

[14] Opere citato n, 562.

« Ab ordinibus semper arcendus est adolescens si prudenter praevideatur eum propter propensionem nativam, vel acquisitam fragilitatem saltem in ordinariis et normalibus condicionibus vitae sacerdotalis constitum, in peccata gravia esse prolapsurum praesertim si timetur scandalum. Atque memorandum est tempus periculosum non esse iuventutis sed plenae maturitatis nempe circa annos aetatis 30 vel 40. Nec dicatur gratiam sacramentalem Ordines conferre atque defectum idoneitatis candidati supplere. Profecto gratia illa confirmabit qui debitis dotibus praeditus, sacerdotalem statum prudenter init; ordinatio vero non mutat indolem nec perversas propensiones tollit illius qui sacerdotium temerarie amplectitur.

In dubio confessarius potius in partes severiores inclinabitur. Practice enim moralis aptitudo perfectae castitatis servandae, dicenda est exceptio atque relative paucis reservata ideoque non praesumitur sed probanda est. Cum de his iudicium ferre debent confessarii ne nimis fidant extraordinariis conatibus quibus multi ante ordinationes capaces sunt. Fit enim ... » [15].

« Tempus probationis alumni pravo habitu irretiti ad experiendum eius castitatem, generali regula determinari nequit, cum a diversis adiunctis dependeat scil. ab intensitate pravi habitus, a maiore minoreve diligentia adhibendi media emmendationis, a periculo per peccata externa praebendi scandala fidelibus etc. Attamen regulariter requiritur ut candidatus pravo habitu laborans per sex menses, imo per unum annum secundum sententiam severiorem, consuetudinem emmendaverit antequam ad sacrum ordinem accedat ... Haec dicta sint si turpis habitudo non revelet in subiecto propensiones seu physicam constitutionem atavice pronam ad libidinem quo in casu illico e Seminario dimittendus est » [16].

---

15 Opere citato n. 563.

16 Opere citato n. 568.

En nonnullae minutae regulae ad castimoniam seminaristarum probatam habendam quarum veritas et prudentia, impensa cautionum et apparentium contradictionum tutatur.

Quidquid de his reputetur memoria tamen semper teneatur eos solos seminariorum alumnos ad ordines sacros admitti posse qui ante eos et casti sint et fundatam spem dederint de illibata integra sacerdotali vita: eos nempe qui sint probatae castitatis vel quia se omnino puros, auxiliis divinae gratiae cooperantes, servaverunt; vel quia forse ad incitamenta libidinis proni, experimento monstrarunt et pravam proclivitatem vicisse et (cum iis qui semper castitate fulgerunt), spem afferunt, se in posterum vitii illecebras plene superare posse.

Age vero opera probatae castimoniae comprobandi, spectata rei natura, ad confessarios et spiritualium rerum magistros seu praefectos potius quam in Seminarii rectorem et professores devolvitur.

Ideo i. m. Pius XI edidit: « Perpendant igitur rectores, animadvertant ii qui id genus domiciliis » — domibus formationis clericorum — « et iuvenum animis moderantur vel sacras confessiones excipiunt, quam magni periculi — ad Deum, ad Ecclesiam et ad ipsos iuvenes quod attinet — auctores fiant, si suas cuiusque partes omni ope non expleant ne eiusmodi erratum » (non aptorum promotio) « perpretetur. Quod vero diximus spiritualis etiam disciplinae moderatores itemque sacros confessarios hoc discrimen pro concredito officio in se recipere, hoc ita intelligendum est non quasi iidem possint extrinsecus quoque se publice operam proferre suam — quod immo vel ex religiose suscepto munere, vel ex inviolabili sacramenti secreto iisdem vetitum est — sed ita potius ut in cuiusque iuvenis animum efficacem vim exerant, eosque firma paternaque constanti regant, prout assequenda sempiternae salutis bona postulent. Quamobrem ipsi — tum praesertim cum externae rei modera-

tores vel neutiquam vel enervate ac languide, suas partes peragant — non aptos aeque atque indignos, humano nullo habito respectu pro officio iubeant e sacris Seminarii saeptis dum tempus est recedere; *eaque in causa pertractanda tutiorem semper sententiam amplectantur,* quae quidem ad rem quod attinet, multo magis alumnis sacrorum favet cum eos ex itinere avertat per quod ad aeternam ruinam adduci possent.

Quodsi interdum non luculenter satis huiusmodi officium pateat, eam saltem auctoritatem adhibeant, quae ex sibi credito munere paternaque in alumnos caritate oritur ut eos ad sponte sua ab instituto recedendum inducant, quos non ita ut oportet animatos noverint. Habeant alte confessarii illa in animis insculpta quae S. Alphonsus de Ligorio haud absimili de causa docet: Ut plurimum quo severius hac in re confessarius cum poenitentibus agit eo tutius ipsorum saluti consulit; ac contra, eo se duriorem poenitentibus praestat quo ipsis se faciliorem impertit' »[17].

Summa huius gravissimae paragraphi mens est: Ecclesia quod ad sacerdotalem castitatem attinet in nullum prorsus periculum se committere vult.

Seminariorum moderatores rei externae ut rector, disciplinae praefecti et magistri in vocationibus discernendis, in alumnorum probatae castimoniae dilectu possunt ac debent extrinsecus et publice operam proferre suam.

Non ita sed servato secreto, tam confessarii ex inviolabili sacramenti sigillo, quam rerum spiritualium praefecti ex religioso suscepto manere.

Confessarii, ut notum est, qua tales, nec ipsi dare neque Ordinarius aut eius delegati ab eis exquirere queunt quamlibet de alumnorum castitate informationem. Qua iudices in confessionibus audiendis possunt quidem

---

17 Encycl. *Ad cath. sac.* A. A. S. vol. XXVIII p. 41.

et debent de necessariis requisitis ad absolutionem impertiendam vel denegandam iudicare. Exinde cum alumnus non probatae castitatis nequeat sine peccato ordinari, confessarius potest et debet ab eo sub denegata absolutione exigere ut serio promittat se vel ad saeculum rediturum vel prout casus ferat ad ordines non nisi experimento castitatis facto esse ascensurum.

Si de eo qui in sacris iam ordinatus est agatur meminerint: « Quoties Episcopus antequam quis ad diaconatum vel ad sacerdotium initietur pro certo habeat ex promovendi confessionibus aut ex aliis certis indiciis et probationibus susceptis, ipsum sacra revera vocatione esse destitutum, S. Sedem adire non omittat, candide et plane referens rerum statum ... Res quidem agitur tanti momenti, ut Ordinariorum conscientia graviter onerata maneat de hac obligatione, ut periculum amoveatur manus imponendi Diacono vel Presbytero, qui gravissimo ss. Ordinum oneri sustinendi impar sit [18].

Confessarii igitur, etiam alumnorum in sacris ordinatorum, eos quorum castimonia, secundum leges ab Ecclesia sancitas et a probatis auctoribus declaratas, non est ad ordines suscipiendos sufficienter probata in poenitentia tribunali ab ordinibus arcere stricte tenentur vel absolutionis denegatione, vel paterna suasione, vel eos ad indubium castitatis experimentum inducendo.

Directoris vero seu praefecti spiritus est alumnorum vitam et mores exploratos habere non solum ut eos in perfectionis viam ducat sed etiam ut de eorum vocatione satis certum possit ferre iudicium, quos intellexerit non aptos, eis suadere aut etiam pro officio praecipere ut de statu clericali et de Seminario recedant.

Ut plenam fiduciam clientium sibi conciliet et retineat, sine qua nec ulla huius muneris efficacitas concipi

---

18 Instructio S. C. de Sacr. « Quam ingens » § 3 n. 3. A. A. S. vol. XXIII p. 126.

potest, necesse est ut alumni certi sint eum officio sanctissime fungi, secreto omnium quae ipse in exercicio muneris noverit religiose stricteque servato.

Secreti professionalis obligatio secundum moralistas quandoque in favorem boni communis cessare potest. At tamen in his intimissimis rebus, cum agitur nempe de iis quae pressius accedunt ad materiam sigilli sacramentalis, director spiritus nunquam utatur oportet scientia quam in directione hausit. Si quando igitur in munere explendo compererit a quodam alumno, alium, communitati esse graviter nocivum, aut e Seminario arcendum; denuntianti sive iniungere sive rogare pro adiunctis poterit ut rectorem moneat. Ipse officium alumnorum aliquem Superioribus denuntiandi, numquam assumat.

Si vero de idoneitatis defectu, tantum ab ipso non apto sciverit, cum de applicandis in casu regulis et normis hucusque datis agetur monitionibus, consiliis, suasionibus, ac paterna sacerdotali ratione procedet.

At iam delicata quaestio exurgit: Quid si Ordinarii v. g. vel aliqua alia competens auctoritas, peculiares quasdam normas aut iam dedit aut in posterum indixerit quibus iubeatur ut seminarista v. g. qui hoc illove peccato, semel aut toties, hac illave occasione contra castimoniam deliquerit e Seminario statim sit extrudendendus ne quomodocumque ad ordines accedere valeat?

Nullum est dubium quin *de se* omnes pro quibus fuerint latae et quantum ad eos spectent eis plene teneantur.

Quaelibet habeatur sententia de natura divinae vocationis ad sacerdotium, vera sunt quae, occasione libri « La vocation sacerdotale » a canonico Ioseph Lahitton, Cardinalium commissio, postquam ipsa librum de mandato Pii X examinavit, redegit: Neminem habere umquam ius ullum ad ordinationem antecedenter ad liberam electionem episcopi [19].

---

[19] A. A. S. vol. IV. p. 485.

Utique ad tenorem canonis 971 « *nefas est quemquam,* quovis modo, ob quamlibet rationem ... ad statum clericalem cogere, vel *canonice idoneum ab eodem avertere* ».

At tamen vi can. 973 § 3 « Episcopus, sacros ordines » (late sumptos) « nemini conferat quin positivis argumentis moraliter certus sit de eius canonica idoneitate; secus non solum gravissime peccat, sed etiam periculo sese committit alienis communicandi peccatis ». Adice: Nemo ex saecularibus ordinetur, qui iudicio proprii Episcopi non sit necessarius vel utilis ecclesiis dioecesis ». (can. 969 § 1). Et can. 968 dicit: « sacram ordinationem licite recipit vir baptizatus qui ad normam sacrorum canonum iudicio proprii Ordinarii debitis qualitatibus praeditus sit ».

Clarius asseri nequit Ordinario et soli Ordinario competere grave officium iudicandi an candidatus aptus dignusque sit qui ad Ordines promoveatur.

Constat Pontificia documenta et sacros canones, sacerdotes et eos qui ad sacerdotium devenient probatae integraeque castitatis maximopere velle. Exinde ea normas generales dant quibus nonnulli candidati utpote qui non sufficienter castitate polleant e Seminario detrudendi et ab ordinibus arcendi sunt. Si igitur Ordinarii normas magis particulares ediderint quibus de eorum iudicio sacrorum alumnus eo quod modo in normis determinato deliquit iam ineptum se effecit et ideo e Seminario esset expellendus, normas darent peculiares praeter vel secundum ius, atque ideo de se plene obligantes secundum earum naturam. Viderint ergo confessarii, viderint praefecti spiritus et Seminariorum rectores an normae ab Ordinario emanatae consilia sint an instructio vel an praecepta. Consilia nullo modo obligant: instructio de se simplicem normam dicit declarativam cuius directio servanda est, potius quam eius litteralis observatio urgenda, etsi non raro quaedam auctoritative definita et imposita con-

tinere potest: decretum normam stricte obligatoriam significat [20].

Praeterea in aliquo peculiari casu accidere potest ut harum normarum obligatio, si quae detur, fiat irrationabilis aut noxia et pro illo casu in praxim deduci nequeat sicque, ut dicitur, contrarie cesset.

Sunt leges universales in ipso iure divino certo intimeque fundatae de sigillo sacramentali et de non usu scientiae ex confessione acquisitae prout canonibus 889 et 890 continentur. Sunt et alii canones ut 905: «cuivis fidelium integrum est confessario legitime approbato, etiam alius ritus, cui maluerit peccata sua confiteri; et 891»: « Magister novitiorum eiusque socius, Superior Seminarii collegiive sacramentales confessiones suorum alumnourum secum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgenti causa, in casibus particularibus, sponte id petant »; et 530 § 1: « omnes religiosi stricte vetantur personas sibi subditas quoquo modo inducere ad conscientiae manifestationem sibi peragendam » qui normam exprimit Seminariorum Superiores non minus obligantem; et can. 888: « Meminerit sacerdos in audiendis confessionibus, se iudicis pariter et medici personam sustinere, ac divinae iustitiae simul ac misericordiae ministrum a Deo constitutum esse ut honori divino et animarum saluti consulat » etc.

Si acciderit ut in casu particulari, salva certitudine morali alumnum de quo agitur non esse ad ordines sacros promovendum nisi post quam eius castitas experimento constiterit, obtemperatio normis ab Ordinario datis practice violaret vel magnum periculum induceret violandi canones suprarelatos v. g. per quamlibet secreti sacramentalis manifestationem, aut indebitum usum secreti confessionis, aut quia sacramentum vere odiosum redderetur, aut quod munus confessarii vel directoris

20 *Epitome Iuris Canonici* VERMEESRSCH CREUSEN T. I. n. 132.

rerum spiritualium in Seminario inanis evaderet, aut impositione oneris quod sine gravi incommodo tertii aut infamiae eius qui censetur indignus consistere nequiret etc., puto in particularibus huiusmodi casibus Episcopi ordinationem non obligare. Immo ipsum Ordinarium primum esse qui nolit normam a se datam, in illo casu tenere.

Parato demum libentique animo dissertationi meae finem imponam memorabili S. Thomae sententia quam Pius XI in sua toties laudata Encycl. « Ad catholici Sacerdotii » facit suam.

« Deus nunquam ita deserit Ecclesiam suam quin inveniantur idonei sufficientes (ministri) ad necessitatem plebis si digni promoverentur et indigni expellerentur ... Si non possent tot Ministri inveniri quot modo sunt, melius esset habere paucos Ministros bonos, quam multos malos » [21].

MICHAEL FÁBREGAS, S. I.

---

21 *Summa Theologica* Spp. q. 36 a. 4 ad 1um.

DE ARTE SACRA MODERNA

I. De hodierna lite artis sacrae.

1. *De decadentia artis sacrae in s. XIX°.* — Saeculo XIX° ille stilus baroccus esse desiit, qui propter suas partes a Renascentia mutuatas et suam tendentiam se novis circumstantiis necessitatibusque adaptandi erat heres stili gothici et simul medio huius periodi heres antiquae traditionis christianae. Loco stili barocci nihil venit: saeculo XIX° constructio ecclesiarum maximo disordine ignorantiaque profunda fiebat, transiens omnes vias ab imitationibus inconsultis stilorum antiquorum (ea de causa omnes isti stili « neo- ») usque ad inventiones ridiculas insanasque. Ortus est ille academismus devotus, qui suis canonibus omnem artem vitalem impossibilem reddebat, qui saeculo praeterito artem christianam in sua potestate habebat, et qui sua facilitate triunphum mercium tabernariarum maxime augebat.

Sed eodem saeculo artes extra religionem christianam florescebant! Novae artis opera praestantissima erant regiones natura amoenissimae, imagines (ritratti), naturae inanimae.Novae artis obiecta spiritualia erant homo, eius persona, eius opera — magna momenta vitae, v. g. nativitas, maternitas, certamen contra fata, mors. Tamen ista ars nova a religione christiana aliena erat. Artistae in scholis philosophiae modernae instituti erant ita ut educatione a thesauris Revelationis aversi essent. Propter eorum academismum devotum ubique christiani ab artistis modernis aversi erant. Prima vice in historia christianismi abyssus inter religionem et artem orta est: quod ars « sacra » dicebatur, non erat ars eaque de causa a veris artistis re-

pudiabatur; quod ars « profana » dicebatur, erat vera ars immo saepius ars religiosa sed a christianis in ecclesias non admittebatur. Quia s. XIX° ars sacra in praeteritum fugiebat, contactum cum arte hodierna amittebat!

Quamvis illa conclusio christianis odiosa sit, tamen humiliter admittendum est quod historia obiectiva docet [1]. Decadentia artis sacrae in s. XIX° explanat, cur s. XX° maximae difficultates habeantur.

2. *De renascentia artis sacrae in s. XX°* - Hodiernis diebus sine dubio enixe contenditur et laboratur, ut vera ars christiana restauretur ac creetur. Hic conatus tamen a multis repudiatur et a paucis sustentatur, ita ut continuo tumultus adsit et non tranquille laborari possit. Revera difficultates gravisimae sunt. Quia per saeculum genuina ars christiana non existebat, vincula cum saeculari traditione artis sacrae exsoluta sunt. Ex illa discidia multa mala secuta sunt. Ab una parte genuini artistae moderni, etiam catholici, quod ad artem attinet, talibus principiis

---

[1] Per se patet nos non negare seculum XIXum nonnulla opera sacra architecturae ac artis figurativae praestantissima confecisse; illae exceptiones tamen nostrum iudicium generale confirmant. — Vide praesertim opus optimum Frederici van der MEER, *Atlas de la civilisation occidentale. Préface de* René Grousset de l'Académie Française. Paris-Bruxelles, Elsevier, 1951. — Cfr. etiam dissertationes Antonii L. MAYER, quae de relatione inter liturgiam et culturam agunt: *Altchristliche Liturgie und Germanentum*: Jahrbuch für Liturgiewissenschaft 5 (1925) 80-96; *Nochmals « Altchristliche Liturgie und Germanentum*: JL 8 (1928) 236-239; *Die Liturgie und der Geist der Gotik*: JL 6 (1926) 68-97; *Das Kirchenbild des späten Mittelalters und seine Beziehungen zur Liturgiegeschichte*: Vom christlichen Mysterium; gesammelte Arbeiten zum Gedächtnis von Odo Casel OSB. Düsseldorf, Patmos-Verlag, 1951. p. 274-302; *Renaissance, Humanismus und Liturgie*: JL 14 (1934) 123-172; *Liturgie und Barock*: JL 15 (1935) 67-154; *Liturgie, Aufklärung und Klassizismus*: JL 9 (1929) 61-127; *Liturgie, Romantik und Restauration*: JL 10 (930) 77-141. — Optimum librum, qui conversus est in multas alias linguas, est J. HUIZINGA, *Herfsttij der Middeleeu-*

philosophiae ac aestheticae imbuti sunt, quae a religione christiana plus minusve discrepant. Sic v. g. in cubismo, expressionismo, symbolismo, abstractionismo, surrealismo effata ac methodi profiteantur, quae sine conversione radicali a traditione christiana dissentire videntur. Ab alia parte genuini christiani intelligens iudicium verae artis sacrae academismo devoto amiserunt, ita ut tantum imitationes stilorum praeteritorum dicant vias rectas artis christianae et nullas novitates admittere velint. Ergo oritur lis de formis a traditione christiana receptis et artis sacrae legibus.

Artistae moderni, quia in educatione muneris sui non ad traditiones christianas instituti sunt, etiam modo individualistico ac inspiratione personalissima procedere volunt, cum themata christiana tractent. Ergo crescit oppositio inter artem religiosam et artem ecclesiasticam, ita ut audiatur sententia: « tua ars religiosa est sed in ecclesia adhiberi non potest ».

Gustatus populi, quamquam relate ad artem sacram saepissime corruptus dici debet, contra artem sacram mo-

---

wen; studie over levens- en gedachtenvormen der veertiende eeuw in Frankrijk en de Nederlanden. 7e druk. Haarlem, H. D. Tjeenk Willink & Zoon, 1950.

[2] Bibliographiam completam hodiernae litis artis sacrae non offerimus, quia iam alibi existit; ea de causa tantum principalia indicamus.

a) — *Bibliographia optima* invenitur in F. VANDENBROUCKE O. S. B., *Rome et l'art sacré*: Les Questions liturgiques et paroissiales 34 (1953) 24-29.

b) — *In genere*: P. R. RÉGAMEY O. P., *Art sacré au XXᵉ siècle?* Paris, Editions du Cerf, 1952. 483 p. — Madeleine OCHSÉ, *La nouvelle querelle des images* (= Collection « Le poids du jour »). Paris, Editions du Centurion, 1953. 142 p. — Celso COSTANTINI, *L'istruzione del S. Offizio sull'arte sacra. I. Commento. II. Scritti e discorsi in difesa dell'arte cristiana.* Roma, Piazza della Cancelleria 1, 1952, 231 p. — *Fragen der Theologie und des religiösen Lebens*: Herder-Korrespondenz 7 (1952) 124-126. — Celso COSTANTINI, *La verità nell'arte*: Doctor Communis III (1952) 283-306. — G.

dernam iniuste iudex unicus declaratur. Ergo in disputationibus de arte sacra saepissime criteria vana ac inania iactantur. V. g. populus iudicat hanc ecclesiam modernam similem ferratae viae stationi esse! Aequo iure dici posset ecclesiam baroccam similem aulae saltatoriae esse.

Artistae catholici minus periti, qui etiam « moderni » vocari volunt, pluries in duplicem errorem incidunt. Vel tantummodo artem paleochristianam, quae saeculo praeterito non magni aestimaretur, imitantur (ubique basilicae secundum formam antiquam apparent) et canones neo-paleochristianos promulgantes academismum continuant. Vel putant se creare opera moderna, si themata christiana in notis signisque hodiernae vitae quotidianae effingunt (v. g. Christus sicut operarius hodiernus, Maria sicut puella moderna, Sancti in vestibus Sinensibus, opera redemptionis in urbe moderna, etc.). Ergo iterum ars impropria vel falsa propagatur, quidquid sit de laude imperitorum.

ROVELLA S. J., *Commento a commenti circa l'istruzione del Sant'Uffizio sull'arte sacra*: Civiltà Cattolica 104 (1953) I 517-529.

c) — *Osservatore Romano*: Mariano CORDOVANI O. P., *La teologia dell'arte sacra* (17. IV. 1949. — Articuli Celsi COSTANTINI, *Dell'arte sacra deformatrice* (10. VI. 1951), *Ancora dell'arte sacra deformatrice; risposta ai vari critici* (18. VIII. 1951), *Tempestività e urgenza del provvedimento* (23. VII. 1952), *Competenza della Santa Sede* (25. VII. 1952), *Modernità e tradizione* (27. VII. 1952), *Dell'architettura sacra* (30. VII. 1952), *Epurazione artistica delle chiese* (1. VIII. 1952), *Circa l'arte figurativa* (3. VIII. 1952), *Per la cultura artistica del clero* (13. VIII. 1952). — M. B., *Monito necessario* (20. VII. 1952). — K., *L'arte sacra e la Chiesa in Francia* (8. XI. 1952). — Emanuele Card. GONÇALVES CEREJEIRA, *Arte sacra e modernità* (2. IV. 1953).

d) — Nova ephemeris, fundata anno 1953; FEDE E ARTE; *Rivista internazionale di Arte Sacra.* Direttore † Giovanni COSTANTINI. Direzione e Amm.ne: Pontificia Commiss. Centr. per l'Arte Sacra in Italia, Roma, Palazzo della Cancelleria Apostolica. Tipografia Poliglotta Vaticana.

e) — *Documenta auctoritatis ecclesiasticae*G PIUS XII, Lit-

Ope modernorum mediorum technicorum (photographiae, radio, cinemae, televisionis, opificii, etc.) hodie ubique ac sine intermissione opera artis classica ac maxime amata repetuntur. Ea de causa lassitudo orta est, fatigatio spiritualis: maxima sobrietas quaeritur, immo iconoclasmus colitur, ita ut munus artistae liberatio totius artis proclamaretur. Ergo ad artis operisque negligentiam pervenitur.

Tandem aliquando multi artem serio non iam agunt: opera moderna in risum vertunt, scandala artistica persequuntur, artistas modernos humiliant. Ex eo sequitur, quod interdum artistae veraces ecclesiae tergum obvertunt et in eius servitio dilettantes, adulatores ac assentatores sunt.

Sine dubio in campo artis sacrae pugna acris est; quamquam hoc dolendum est, tamen post saeculum praeteritum vitari non poterat. Adversus haec omnia tamen hoc saeculo XX° nova vera ars sacra oritur. Praesertim quod ad architecturam attinet hodierni artistae iam magna assecuti sunt et unusquisque peritus bene scit architecturam semper initium completae renascentiae artis fuisse. Ergo desperatio nefas esset.

3. *Assy, Vence et Audincourt.* — His ultimis annis in campo artis sacrae explosio vehemens facta est, quae nondum oppressa est. Die 4 Augusti 1950 consecrata est ecclesia Assy en Haute-Savoie, die 25 Iunii 1951 oratorium

---

terae Encyclicae *Mediator Dei et hominum* (20. XI. 1947): A. A. S. 39 (1947) 590-591. — Pius xii, *Discorso ai partecipanti al primo congresso internazionale degli artisti cattolici* (3. IX. 1950): Osservatore Romano 6. IX. 1950; Discorsi e Radiomessaggi XII 179-183. — Pius XII, *Discorso agli artisti della VI Quadriennale Romana* (8. IV. 1952): Osservatore Romano 9. IV. 1952. — S. S. C. S. Officii, *Instructio ad locorum ordinarios de arte sacra* (30. VI. 1952): A.A. S. 44 (1952) 542-546; Periodica 41 (1952) 348-353. — *Principes directeurs de l'épiscopat français* (28. IV. 1952): Documentation Catholique 49 (1952) 1948-99.

Vence de la Côte d'Azur, et die 16 Septembris 1951 ecclesia Audincourt. Sunt opera artistarum celeberrimorum nostrae aetatis et sine dubio experimenta audacissima. Statim ubique, a periodicis scientificis usque ad ephemerides quotidianas, controversiae acerrimae ortae sunt. In medium vocata sunt plura problemata: ars et liturgia, ars sacra et traditio, ars sacra et inspiratio interior artistae, ars non-figurativa, possibilitas christiana artistarum infidelium. Revera vulgus hisce operibus insolitis commotum non est, tantum initiati intellexerunt vel se intellexisse declaraverunt.

Interventus auctoritatis ecclesiasticae omnino necessario erat. Die 28 Aprilis 1952 Episcopatus gallicus normas sapientes edidit. Ars sacra actualis spiritui saeculi XXi, eius technicae ac materiis respondere debent. Artistae moderni ad collaborandum in arte sacra invitandi sunt. Tamen populus fidelis deformationibus ac operibus insolitis irritandus non est. Opera artistica sine explicationibus longis ac eruditis intelligibilia esse debent. Artistae moderni in iudiciis aliarum scholarum quam propriarum irenici esse debent nec imprudenter opera artis, quae sacrae dicitur, damnare.

Die 30 Iunii 1952 Suprema Sacra Congregatio S. Officii edidit instructionem ad locorum ordinarios de arte sacra. In genere haec instructio citatione textuum officialium, qui in traditione saeculari leges architecturae ac artis religiosarum existunt, se continet. In specie agitur de differentia inter aedificia cultus et aedificia profana, de commoditate fidelium et de gustatu sano; defenditur ars figurativa, reprobantur imagines insolitae et opera, quae dogma falsum vel errorem periculosum profitentur et decentiam ac honestatem laedunt. Reverentia sanctitatis locorum sacrorum exigitur. In ecclesiis prohibendae sunt multiplices statuae effigiesque mediocris notae plerumque stereotypae. Omnia quae ab Ecclesiae sensu et decretis aliena sunt proscribenda sunt. Ea de causa

quod ad artem sacram attinet commissiones dioecesanae competentes esse debent, artistae sinceram fidem ac pietatem exprimere queant et clerus in sincera arte sacra erudiatur.

II. Extrema

Duo extrema hodie existunt, scil. genuina ars profana et pseudo-ars sacra. Quia utrique auctoritas eclesiastica obsistit. conamur utriusque naturam evolvere.

1. *Genuina ars profana moderna.* — Ad intelligendum quid hodierna ars profana intendat, debemus principes considerare (v. g. Picasso, Sartre).

Omnino admittendum est illos principes magistros dominosque artis esse: materiam in potestate habent et quaelibet opera praestantissima perficere possunt.

Sed isti principes modo arguto suum ingenium cuidam ideologiae in servitium tradunt, immo ipsae ideologiae determinant totaliter diversas formas artis eorum. Sine dubio artes modernae exponentes sunt ideologiarum modernarum, scil. regiminis totalitarii, democratici, existentialismi, communismi, nihilismi, atheismi. Eximii artistae moderni in regno spiritus sunt rebelles, tumultuosi, libertini. Respuunt ordinem creatum, religionem, humanitatem, Deum. In arte reiciunt pulchritudinem ac quietem spatialem, quae traditionales erant.

Sic v. g. cubisti elementa corporis dissecant et proportionem harmoniamque quae pulchritudo dicuntur delent; ista elementa de novo componunt ad creandam formam pulchritudinemque anaturales ac pure artisticas. Fundamentum huius processus est rebellio contra pulchritudinem creatam. Oriuntur opera phantastica quae realitati repugnant. Odio acerbo ordinis existentis ardent. Saepius in suis operibus ad insaniam dementiamque perveniunt modo tremendo et arte terribili.

Quia ars profana moderna in suis formis extremis

creationem repugnat nec igitur e rebus creatis pulchritudinem innatam gignit, consequenter ordinem creatum cum omnibus suis qualitatibus invertit. Quamobrem in optimis operibus hodiernae artis profanae falsitas declaratur veritas, mendacium veracitas, malum bonum, foeditas pulchritudo, deformitas elegantia, etc. Illa ars non elevat sed deprimit, non fiduciam sed timorem excitat, non ad vitam sed ad mortem perducit. Est aperta enuntiatio nihilismi, immo operatio diabolica. Tantum pauci ad hanc perversitatem extremam pervenire possunt, nam homo suam naturam difficulter abdicare potest; quidem principes huius artis destructivae quotiescumque opera sublimia artis sanae debent conficere quantopere obsistant. Maxima horribilitas huius artis diabolicae habetur in deformatione pulchritudinis muliebris, nam eius opera praestantissima iniuriae turpissimae dignitatis feminae sunt. Revera dici debet corruptionem optimi pessimam esse.

Ecclesia christiana, cuius scholae artis in significatione pulchritudinis muliebris « Rosae Mysticae » ad summum gradum honoris ascenderunt, huic arti decadenti ac instrumento nihilismi naturaliter obsistit sicut omnes homines sanae mentis bonaeque voluntatis. Audiatur simplex doctrina Instructionis S. Officii:

a) Contra artem peccaminosam Ecclesiae defendit artem sacram: « sacrae artis, vi ipsius appellationis, munus officiumque est, domus Dei decori plurimum conferre atque fidem pietatemque eorum fovere, qui in templum congregantur, ut divinis adsistant officiis implorentque dona caelestia ».

b) Contra artem modernarum ideologiarum falsarum defendit saecularem artem christianam: Ars sacra « plane congruat cum legibus ecclesiasticis, e suprema doctrina rectaque ascesi promanantibus »; « cum christiana societate exorta, proprios fines habet, a quibus nunquam declinare, propriumque munus, cui nunquam deesse potest »; « in ecclesiarum aedificatione vel refectione serven-

tur formae a traditione christiana receptae et artis sacrae leges »; « sacrae imagines cum probato Ecclesiae usu congruant ».

c) Non permittit ut in sanctuarium aberrationes modernae intrent: « Nihil inordinatum, aut praepostere et tumultuarie accommodatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat, quum domum Dei deceat sanctitudo »; « Quae oculis fidelium subiiciuntur, non inordinata nec insolita appareant, sed devotionem pariant et pietatem »; « Ne in cultum divinum quidquam admittatur a fide alienum vel ab ecclesiastica traditione absonum »; « Ipso iure prohibentur imagines quoquo modo impressae ab Ecclesiae sensu et decretis alienae »; « Eas imagines ac formas, recens a nonnullis inductas, deploremus ac reprobemus, quae sanae artis deformationes depravationesque videantur, quaeque etiam nonnunquam decori, modestiae ac pietati christianae aperte repugnent, sensumque vere religiosum misere offendant; hae quidem a nostris templis arcendae prorsus atque expellendae sunt, ut generatim quidquid a sanctitate loci absonum sit »; « Omnia devitentur quae artis operisque quandam negligentiam praeseferant »; « Nunquam sinat Ordinarius in ecclesiis aliisve locis sacris exhiberi falsi dogmatis imagines vel quae debitam decentiam et honestatem non praeseferant, aut rudibus periculosi erroris occasionem praebeant ».

Dolendum est quod talis instructio negativa necessaria est nostris diebus.

2. *Pseudo-ars sacra.* — Ars sacra, eheu merx facta est! Ex officinis se effundunt imagines, paramenta, obiecta liturgica, etc., quae non tantum iniuriam nomini artis inferunt sed etiam oculos eorum qui omni vita atque cultu exculti atque expoliti sunt offendunt. Illa obiecta magna quantitate in tabernis artis exposita sunt immo in ecclesiis aliisve locis sacris exhibentur. Negari non potest con-

suetudinem diuturnam illa obiecta ubique introduxisse eaque permultis media devotionis pietatisque facta esse: sponte pertinent ad supellectilem christianorum nec sollicitudine plerosque afficiunt.

Quaestioni quid sit natura huius pseudo-artis sacrae, responsio magis negativa quam positiva est. Eius fabri (nomine « artistae » digni non sunt) nec quid sit « ars » nec quid sit « sacra » sciunt, pulchritudinem vel aestheticam non quaerunt nec valores spirituales hominis spectant. Eorum scopus unicus est, ut sensibus vulgi placeant. Quamobrem obiectis sacris easdem qualitates afficiunt quas cuppedia, bellaria, crepundia, deliciae, oblectamenta, iucunditates habent. Diligenti cura altiora evitant, nulla problemata tangunt, sed illusionem beatam ac dulcem quietem creare volunt. Ea de causa eorum opera nunquam inhonesta vel immoralia sunt sed etiam ad veram honestatem vel moralitatem non perveniunt. Huius artis proprietas est affectio dulcis festivaque; propterea ubique colores dulces (caeruleus, roseus), aurum et argentum, flores et serta, ornamenta vana ac inania, et in medio huius ornatus figurae humanae sine ossibus ac carne, sine anima.

Ecclesia, cuius munus etiam educatio culturalis populi est, non potest admittere vel propagare talem pseudo-artem sacram. Quamobrem his obiectis portas suas claudere debet et fabricationem dignorum obiectorum devotionalium promovere, ut tandem aliquando gustatus vulgi sanetur. Ergo certamen contra pseudo-artem in ecclesiis incipere debet et medio fabricarum in domibus privatis finire. Esset methodus falsa et perniciosa, si hic iconoclasmus in domibus privatis inciperet.

Etiam Instructio S. Officii pseudo-arti sacrae adversatur: « Niteat nova ecclesia pulchra linearum simplicitate, quae a fallacibus ornamentis abhorret »; Ordinarii « severe prohibeant ne multiplices statuae effigiesque mediocris notae, plerumque stereotypae, in ipsis altaribus

vel ad proximos sacellorum parietes venerationi fidelium inepte inconcinneque exponantur ».

3. *Inter extrema.* — Etiam hodie multae ecclesiae stilos praeteritos imitando effiguntur. Saeculo praeterito contrario nunc ars christiana antiquissima maxime placet; quamobrem secundum canones academicos basilicae aedificantur et loqui licet de arte neo-paleochristiana. Ille regressus est signum optimum, non quia ars paleochristiana est antiquisima sed quia historia magistra religiositatem sensumque christianum modo sublimissimo expressit. Vitalitas iuvenis religionis christianae, quae iuxta artem paganam artem christianam genuinam creare potuit, est inspiratio artistarum modernorum in nostris circumstantiis difficilioribus. Hodie enim omnibus viribus praeveniendum est ne religio christiana consenescat ac obsolescat, et ars non achristiana sed antichristiana immo atheista devincenda est. Sicut in praterito etiam in futuro hodierna ars sacra erit speculum ac mensura virtutis religiosae nostrae periodi. Ergo sperandum est artem neo-paleochristianam magis magisque ad genuinam artem sacram modernam ducturam esse.

Imitatio rationabilis artis praeteritae per se repudianda non est. Tamen propter suos canones academicos et absentiam originalitatis melius dicitur ars fabri quam ars artistae. Si tamen aetas imitatione praeteriti se contineret, hoc signum paupertatis sinceriter iudicandum esset.

Ergo nulla ratio neo-stilos reprobandi habetur. Quamobrem Instructio S. Officii hac de materia non agit.

4. *Postulatum iustum.* — In *Osservatore Romano* (13. VIII. 1952) iudicium ephemerideos philocommunistae citatum est: « La verità è che solo una piccolisima parte, e non la migliore, della coltura moderna è rimasta legata alla Chiesa; la quale non ha più quella funzione di propulsione e di guida che ebbe in pasasto ... L'arte sacra è fini-

ta da tempo ... E poi come si può pretendere un'arte sacra dagli artisti d'oggi quando essi non si interessano più di problemi religiosi? ... La Chiesa, stante la crisi in cui si dibatte, non potrà mai servirsi dell'arte moderna, tanto più che questa è nata sotto un distintivo laico e progressivo che non si addice all'ideologia cattolica. La quale per sostenersi deve ricorrere a quanto c'è di più logoro e superato non soltanto nel campo dell'arte ».

Sine dubio hoc iudicium exaggeratum dicendum videtur. Tamen occasionem examinis conscientiae ac activitatis vitalis praebet. Nos christiani in arte novitatem non propter novitatem intendere debemus sed ut probemus nos etiam modo moderno thesauros supremos religionis exprimere posse. Modo artistico demonstrare volumus quomodo christianus hodiernus Christum amplectitur et revelationem vivit. Creatio genuinae artis sacrae modernae est iustum postulatum apostolatus christiani. Operibus praestantissimis nostra ars sacra exprimere debet quomodo pars melior humanitatis Ecclesiae ligata est, quomodo etiam hodie ubique Ecclesia propulsatrix ac dux est sicut in praeterito, quomodo artistae optimi problemata religiosa maximi ducunt. Ad nos pertinet demonstratio, utrum ars moderna, quae laica ac progressiva dicitur, cum ideologia catholica consentire possit necne. Si non, creanda est ars sacra moderna sublimis, quae hodiernam artem profanam obscurat eiusque falsitatem, corruptionem ac decadentiam ignominiae obicit.

Ubique terrarum hodierna ars sacra permultis operibus iam demonstravit se in viam rectam rediise. Ratio desperandi omnino non adest. Tamen permulta agenda sunt. Mirum est quanta prudentia, quanta patientia suprema auctoritas S. Sedis ac Episcoporum procedunt quod ad artem sacram pertinet. Cum longanimitate multa passa est sinuitque, quidquid auctoritates minores et homines privati detestabantur. Ecclesia sicut Mater bene scit vi decretisque certe in materia artis perpauca consequi. Etiam

Instructio S. Officii rixam artis sacrae non dirimit nec pseudo-artem ex ecclesiis removit, sicut experientia eheu docet.

Ut genuina ars sacra moderna oriatur, opera constructiva necessaria est. Ea de causa Instructio S. Officii in fine agit

a) — de qualitatibus artistarum: debent esse viri, « qui peritia ceteros praecellant quique sinceram fidem ac pietatem, cuiuslibet artis sacrae finem, exprimere queant ».

b) — de perspicacitate eorum qui nomine Ecclesiae opera artistica diiudicare debent: in Dioecesanam pro Arte Sacra Commissione « cooptentur viri, qui non modo sint arte periti, sed etiam christianae fidei firmiter adhaereant, ad pietatem sint informati et certas rationes, ab auctoritate ecclesiastica definitas, animo libenti sequantur ».

c) — de educatione eorum qui artistis confectionem operis mandant: « curandum ut ad sacros ordines adspirantes in Philosophicis et Theologicis scholis, modo singulorum ingenio atque aetati accommodato, erudiantur in arte sacra atque ad eiusdem sensum informentur a magistris, qui mores institutaque maiorum vereantur et Sanctae Sedis praescriptis obsequantur ».

Etiam hac Instructione probatur aberrare eos, qui asserunt Ecclesiam arti sacrae modernae simpliciter adversari. Obliviscendum non est Ecclesiam quotidie Spiritum Sanctum precari ut renovet faciem terrae.

H. Schmidt S. J.

Annotationes

ad Responsiones datas a P. Comm. Codicis[1] d. 26 martii a. 1952.

D. *Utrum verba can. 1053 « facta permissio transitus ad alias nuptias » intelligi debeat dumtaxat de permissione facta a Sede Apostolica, an etiam de permissione facta ab Ordinario loci*: R. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Notum est foedere nuptiali iam coniuncto non licere iuxta praescriptum can. 1069 § 2 novas nuptias inire, antequam de prioris matrimonii nullitate aut solutione *legitime et certo constiterit.* Una ex causis solutionis matrimonii contracti est mors alterutrius coniugis. Potest tamen interdum accidere ut de hoc facto nequeat afferri ullum argumentum peremptorium; haud enim sufficit mera absentia etiam diuturna alterutrius coniugis, etsi coniuncta sit cum carentia completa notitiae cuiuslibet circa eiusdem vitam. Hoc enim argumentum est negativum, et in hoc casu desideratur aliquid positivum ad matrimonium, quod est in possessione, ut dissolutum habendum.

Itaque, si parochus nequeat certitudinem moralem requisitam haurire vel ex documentis tam ecclesiasticis quam civilibus, vel ex testimoniis proborum hominum, tenetur generatim recurrere ad Ordinarium loci. Difficile namque erit ei ex alio forte, item legitimo, sc. ex coniecturis, praesumptionibus, indiciis et adiunctis certitudinem moralem circa obitum prioris coniugis obtinere[2].

---

[1] Cfr. *Periodica,* XLI, p. 358.

[2] CAPPELLO, *De Matrimonio,* n. 396, 3°.

Ordinarii in hoc casu sedulam et admodum cautam investigationem fecient, ut videant an « ex pluribus coniecturis, praesumptionibus, indiciis et adiunctis quibuscumque hinc inde collectis, eorumque natura perpensa, prout sc. urgentiora vel leviora sunt, seu propiore vel remotiore nexu cum veritate mortis coniunguntur », possit tandem ad eandem mortem affirmandam probabilitate maxima seu morali certitudine promoveri [3]. Si id obtinuerint, poterunt iidem permittere novas nuptias coniugi superstiti [4]. S. Congr. de Sacr. statuit d. 3 iunii a. 1912, i. e. ante promulgationem Codicis, ut in posterum dispensatio ab impedimento proveniente ex adulterio cum attentatione matrimonii « concessa censeatur per datam a *S. Sede* sive dispensationem super matrimonio rato et non cons. sive permissionem transitus ad alias nuptias » [5].

Hac dispensatione intendebatur impedire quominus exponerentur periculo nullitatis matrimonia eorum, qui cum ligarentur memorato impedimento, facile exsistenti in illis adiunctis, negligerent eius dispensationem petere post obtentam vel dispensationem super matrimonio rato et non consummato vel declarationem liberi status ob praesumptam mortem coniugis. Haec concessio facta a Pio X afficit permissionem transitus ad alias nuptias factam solum a *S. Sede* et secum fert dispensationem impedimenti provenientis ex adulterio cum *attentatione* matrimonii.

Eadem concessio continetur in c. 1053, qui tamen mentionem facit impedimenti provenientis ex adulterio cum *promissione vel attentatione* matrimonii. Notandum est praeterea parvam quandam mutationem inveniri in verbis adhibitis in Codice; dicitur enim : « Data a S. Sede dispensatio super matrimonio rato et non consummato vel

---

3 Instr. S. Offic., n. 6; A. S. Sedis, 6, p. 439.
4 Ibid., p. 441.
5 AAS, IV, p. 403.

facta permissio transitus ad alias nuptias ... »; nova collocatio verborum indicare videtur illa verba « a S. Sede » afficere solum primum membrum integrae clausulae, non vero alterum.

Auctores plerique post Codicem vel simpliciter verba Codicis referebant quin ullum adderet commentarium vel expressis verbis notabant non contineri dispensationem implicitam in sententia Ordinarii de praesumpta morte prioris coniugis [6]. Si evidenter influxum patiebantur menorati Decreti S. Congr. de Sacramentis et non praestabant debitam attentionem ipsis verbis Codicis.

Scite tamen notavit OESTERLE canonem 1053 ampliasse concessionem factam in memorato decreto S. Congregationis [7], quod confirmatur hac responsione. Et re quidem vera, non obtineretur plene finis intentus per c. 1053 nisi concederetur dispensatio praedicti impedimenti, forte existentis, semper ac facta fuerit permissio transitus ad alias nuptias; plerumque enim huiusmodi permissio solet dari ab Ordinario loci. Sane, qui concedit dispensationem impedimenti est S. Pontifex, qui adnectit eam actui Ordinarii quo datur permissio transitus ad alias nuptias.

---

[6] CHELODI, *Jus matrimoniale*, n. 48; W. VIDAL, V, n. 443.

[7] Le canon 1035, dont la teneur ne se trouve pas même dans le schema de 1916, amplifie encore le décret de 1912. En effet, il précise que cette dispense implicite s'étend au cas d'adultère avec promesse (ce dernier terme ne se trouvait pas dans le décret) et le texte du canon inclut cette dispense même dans le cas ou l'Orlinaire du lieu en vertu du can. 1069 § 2 ratifie la présomption de décés. *Dict. de Dr. can. v. crime* (Empêchement de mariage).

D. I. *An uxores Praesidum singulorum Statum foederatorum cum comitatu admitti possint intra regularium virorum clausuram ad normam can. 958 § 2.* R. *Affirmative.*

D. II. *Utrum interpretatio data in responsione ad I sit declarativa aut extensiva.* R. *Negative ad primam partem; affirmativa ad secundam.*

Status possunt esse sive simplices sive compositi. Inter hos postremos sunt potissimum attentione digni qui dicuntur foederati: sunt sc. Status, qui vi constitutionis mutuo consensu approbatae subiciuntur uni eidemque gubernio centrali, suprema potestate praedito quoad res in ipsa constitutione determinatas. Datur ergo quaedam veluti distributio munerum inter gubernia particularia singulorum Statum foederatorum et gubernium centrale totius confoederationis.

Solet generatim gubernio centrali reservati quidquid spectat ad relationes ordinis internationalis, v. gr. potestas ineundi pacta; Status particulares tenentur adaptare proprias leges clausulis contentis in huiusmodi conventionibus; negotia vero interna reguntur plerumque legibus propriis cuiusque Status. Itaque, intra hoc genus ordinis politici potestas, qua reguntur singuli Status, nequit extendi ad quasdam res magni momenti, quae in Statibus simplicibus spectant ad rectores suprema potestate praeditos; manifesta ergo adest in primi generis rectoribus supremae potestatis diminutio.

His positis respiciamus c. 598 § 2; eximuntur, dicitur ibi, a prohibitione ingrediendi regularium virorum clausuram uxores eorum qui supremum actu tenent populorum principatum cum comitatu. Possuntne includi in hac exceptione uxores eorum, qui praeficiuntur singulis Statitbus foederatis vel hoc privilegium reservatur soli uxori Capitis supremi totius confoederationis? Ex communi loquendi modo dicitur competere supremus prin-

cipatus soli Capiti totius confoederationis; ideo, Comm. Cod. ait suam interpretationem esse extensivam, vi cuius competet in posterum etiam uxoribus Praesidum singulorum Statuum foederatorum facultas ingrediendi regularium virorum clausuram.

Ratio huius ampliationis videtur reponenda in magna auctoritate qua intra limites proprii Status gaudent Praesides particulares, cuius dignitatis fit quodammodo particeps eius uxor; inelegans ergo videtur prohibere ut uxor comitetur Praesidem ingredientem clausuram regularium virorum, cum ipsi pateat aditus vi iuris communis ut cuilibet alii viro. Idem vero dici nequit de praescripto canonis 600, cum nemo cuiusvis sexus intra monialium clausuram admitti possit; ideo etsi praesens interpretatio non applicetur, ut de facto non debet applicari, praescripto canonis 600, 3°, non dabitur unquam haec veluti violenta seiunctio coniugum; Praesides enim ipsi singulorum Statuum foederatorum nequeunt ingredi monalium clausuram.

D. *An, attento, caanone 700, sustineatur mandatum Ordinarii loci vetantis quominus sacramentum confirmationis administretur pueris qui aetatem decem annorum adepti non sint.* R. *Negative.*

Per sacramentum Confirmationis confertur baptizatis augmentum gratiae ad corroborandam fidem; christianis enim post usum rationis adeptum necessaria est virtus fortitudinis, qua et intrepide profiteantur propriam fidem et superent vim difficultatum, quae opponuntur observantiae legis christianae. Hoc sacramentum, quod recte consideratur veluti complementum baptismi [1], conferebatur in primordiis Ecclesiae statim post baptismum; hic mos retentus est etiam nunc in Ecclesiae Orientali.

---

[1] AAS, 8, p. 14; 19, p. 6.

Codex, i. c., ait administrationem huius sacramenti convenienter differri ad septimum circiter annum. Notum est sacramentum, i. e. ipsum signum sensibile iuxta institutionem Christi rite adhibitum, conferre gratiam ex opere operato [2] et sane aequalem subiectis aequali modo dispositis. Si vero diversae sint dispositiones in subiectis capacibus eas habendi, inaequalis erit quoque gratia per sacramentum collata. Ut adsit haec capacitas habendi dispositiones subiectivas in recipiendo sacramento confirmationis, Ecclesiae statuit ut differatur eius collatio usque ad circiter septimum aetatis annum. Baptismus, utpote necessarius ad salutem aeternam necessitate medii, quamprimum est conferendus infantibus [3]; Confirmatio vero, quae non est necessaria ad salutem aeternam, convenit ut conferatur subiectis capacibus habendi proprias dispositiones.

Hoc praescriptum Codicis, etsi forma externa aliud suadere videatur, est tamen obligatoria, ut declaravit Comm. Cod. [4], d. 7 iuni a. 1931.. Si vero infans in mortis periculo sit constitutus, vel praevideatur eum non esse habiturum nisi longe post septimum annum novam occasionem recipiendae Confirmationis, poterit ei hoc sacramentum conferri etiam ante aetatem praescriptam in Codice. Item constat ex responsione S. C. de Sacramentis d. 30 iunii a. 1932 posse servari consuetudinem antiquissimam in Hispania et alibi vigentem ministrandi sacramentum Confirmationis ante usum rationis adeptum.

Quisnam ergo est dicendus in adiunctis ordinariis limes aetatis praescriptae in Codice? Si adverbio « circiter » valor consuetus assignatur, dicendum erit administrationem Confirmationis non debere differri ultra octavum aetatis annum, in quantum id pendeat ab Episcopo. Id iam

---

[2] Conc. Trid. Sess. VII, c. 8.
[3] C. 770.
[4] AAS, 23, p. 353.

patet attente legenti memoratum responsum S. C. de Sacramentis; dicitur enim ibi opportunum esse et conformius naturae et effectibus sacramenti Confirmationis, pueros ad sacram Mensam non accedere nisi post receptum Confirmationis sacramentum, quod est veluti complementum baptismatis et in quo datur plenitudo S. Sancti. Iam vero, iuxta praescriptum canonis 859 § 1 « omnis utriusque sexus fidelis, postquam *ad annos discretionis* i. e. ad rationis usum pervenerit, debet semel in anno, saltem in Paschate, Eucharistiae sacramentum recipere ».

Qui haec duo inter se conciliare studet, facile videbit mentem Legislatoris esse ut, quantum fieri possit, administratio sacramenti Confirmationis non multum ultra usum rationis differatur. Recte ergo statuitur non posse sustineri mandatum Ordinarii loci vetantis quominus sacramentum Confirmationis administretur pueris, qui aetatem decem annorum adepti non sint. Huiusmodi mandatum Ordinarii loci nitebatur abs dubio sincero desiderio exsecutioni mandandi commendationem ab eadem S. Congregatione factam, praemittendi sc. sacrae Confirmationis administrationi illam catechesis instructionem, quae multum iuvat ad animos puerorum excolendos et in doctrina catholica solidandos. Sed modus est in rebus; longa enim dilatio in administranda Confirmatione fortasse non augebit in pueris desiderium solidam instructionem religiosam acquirendi et periculum creat negligendi ipsam receptionem sacramenti; sic loco unius mali duo insimul haberentur. Arcere pueros per plures annos a recipiendo sacramento Confirmationis non videtur medium nec proprtionatum nec efficax ut iidem alliciantur ad solidam instructionem religiosam acquirendam.

D. *An, non abstante praescripto can. 1243, legi de audiendo Sacro satisfaciat qui Missae adstiterit in loco de quo in can. 822 § 4.* R. *Affirmative.*

Attente consideranti duos canones in hac responsione citatos et declarationem additam patet enumerationem factam in c. 1249 locorum, in quibus praecepto audiendi Sacrum satisfieri possit vel contra, non comprehendere omnes locos in quibus Ordinarius loci, aut si agatur de domo religionis exemptae Superior maior, secundum c. 822 § 4 « iusta ac rationabili causa, in aliquo extraordinario casu et per modum actus » permittere possit celebrationem Missae.

Dicitur sane praecepto satisfieri auditione Missae sub dio celebratae — et fortasse hic erit casus magis frequens usus facultatis Ordinariis [1] concessae in c. 822 § 4 —; sed silentium servatur circa alios locos non patentes in quibus iidem possunt sine dubio permittere celebrationem Missae per modum actus. Immo, verba adhibita in hoc canone aptius applicantur locis non patentibus. Non poterat enim ullo modo dici hos locos esse comprehensos in clausula exclusionis « non vero in aliis oratoriis privatis »; evidens enim erat per hanc clausulam excludi solum locos modo aliquo permanenti cultui sacro destinatos.

Iuxta responsionem nunc datam, satisfacit praecepto qui Missae adsistent in loco de quo in c. 822 § 4, quisquis sit ille, exceptis solis oratoriis privatis quae non sint aediculae coemeteriorum; aliis verbis, enumeratio locorum in quibus non potest satisfieri praecepto andiendi Sacrum est completa in c. 1243, consequenter non est completa

[1] Notum est S. C. de Sacr. monuisse Ordinarios Italiae d. 26 ian. a. 1924 non debere ab ipsis fieri usum facultatis concessae in c. 822 § 4 ad permittendam celebrationem missae sub dio sine iusta ac rationabili causa, quae solis altissimis rationibus divini cultus et spirituali fidelium bono niteretur (AAS, 16, p. 370).

ibidem enumeratio locorum in quibus praedictum praeceptum adimpleri potest.

Itaque, quoad fideles in genere excluduntur sola oratoria privata, exceptis aediculis coemeteriorum; ratio huius prohibitionis sine dubio est quia Ecclesia vult ut auditio Missae generatim induat characterem publicum et socialem diebus dominicis et festivis; absentia ergo veluti permanens huius characteris socialis gravis esset sine dubio defectus; hic autem adesset si passim exceptis illis qui Indulto fruuntur speciali, permitteretur fidelibus satisfacere praecepto in oratoriis privatis. Idem vero dici nequit de casibus extraordinariis, in quibus fortasse ipsa iusta ac rationabilis causa, qua movetur Ordinarius ad dandam praedictam licentiam, suadebit interdum ut fideles adstantes Missae, si dies sit dominica vel festiva, possint etiam satisfacere praecepto andiendi Sacrum.

D. *An praescriptum can. 209 applicandum sit in casu sacerdotis qui delegatione carens matrimonio assistit.*
R. *Affirmative.*

Vi praescripti contenti in c. 209 Ecclesia in errore communi aut in dubio positivo et probabili sice iuris sive facti iurisdictionem supplet in foro tum externo tum interno.

Datur certo error communis si in loco vel communitate, in qua exercenda est iurisdictio haec, etsi ea non exsistat ob qualemcumque rationem, generatim ut vere exsistens habetur; in hoc casu adest error communis de facto.

Secundum sententiam iam communem, posito publice facto quod potest inducere prudentes quoque alicuius loci vel communitatis in errorem, exsistit *virtualiter* error communis *idque* sufficiret ad applicandum praescriptum canonis 209; haec sententia solet proponi ut certa [1].

---

[1] VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome i. can.*, I, n. CAPPELLO, *Summa i. can.*, I, n. 254; W. VIDAL, II, n. 381.

Dubium quod nititur seria atque solida ratione dicitur positivum et probabile; dubium erit iuris si versatur circa exsistentiam vel sensum genuinum legis, facti si versatur circa existentiam alicuius facti eiusque adiuncta.

In casu tam erroris communis quam dubii positivi et probabilis sive iuris sive facti iurisdictionem supplet Ecclesia, i. e. singulis casibus consequenter ad actionem susceptam confert iurisdictionem Ecclesia ut actus iam iam ponendus de facto sit validus; id locum habet semper in casu erroris communis, hypothetice tantum in dubio positivo et probabili, i. e. si de facto iurisdictio non habebatur [2]; id autem facit Ecclesia in *communem* utilitatem fidelium.

In c. 209 solum fit mentio de potestate iurisdictionis; novimus praeterea per aliam responsionem a Comm. Cod. datam praescriptum canonis 209 posse applicari etiam potestati dominativae; sed neminem fugit potestatem assistendi matrimoniis non esse potestatem nec iurisdictionalem nec dominativam. Estne applicandus c. 209 etiam huic potestati assistendi matrimoniis? Dubitari iam nequit quin praescriptum c. 209 valeat etiam applicari potestati assistendi matrimoniis [3]. Id iure supponitur in hac responsione quae solum memorat casum sacerdotis carentis *delegatione*; atque haec applicatio praescripti c. 209 non habetur, ut innuerunt aliqui [4] modo indirecto, i. e. quatenus parocho putativo datur in casu erroris communis potestas paroecialis et consequenter etiam potestas assistendi matrimoniis ut pars totius, sed ex directa applicatione praescripti c. 209 ad ipsam potestatem assistendi matrimoniis.

Si quis teneret solum modo indirecto posse applicari

---

2 W. VIDAL, II, n. 379.

3 Cfr. GASPARRI, *Tractatus c. de matrim.*, II, n. 936; WLAMING-BENDER, *Praelectiones i. matrim.*, ed. 4ª, p. 413.

4 JONE, *Theol. Prakt.* 2, Quart., 81, p. 89.

potestati assistendi matrimoniis praescriptum c. 209, logice deberet negare posse illud applicari in casu sacerdotis carentis delegatione; in eo enim, iuxta eorum sententiam, deesset fundamentum applicationis indirectae, i. e. suppletio directa alius potestatis quacum esset conexa haec delegatio [5]. Nec detegere possum alias rationes ob quas negari possit possibilitas applicandi praescriptum c. 209 potestati delegatae assistendi matrimoniis.

Nunc post responsionem Comm. Cod. nequit iam sustineri sententia, quae asserit potestatem delegatam assistendi matrimoniis excludi, *solum quia est delegata* a possibilitate fruendi dispositionibus contentis in c. 209; dubium quod exsistere poterat circa hanc rem est prorsus eliminatum praesenti responsione. Itaque, si adest circa hanc potestatem delegatam error communis, qui poterit sine dubio dari cum agitur de vicariis cooperatoribus vel de sacerdotibus permanenti modo exercentibus ministeria sacra in aliquo loco, certo eam supplet Ecclesia.

Intenditne aliquid amplius responsio quam commentamus? Aliis verbis, vultne etiam dicere posse adesse errorem communem in casu determinati sacerdotis, qui falso supponitur praeditus potestate delegata assistendi determinato matrimonio? Hac in re non una est sententia scriptorum, sed recte notatum est non facile posse dari errorem communem, quando agitur de sacerdote putative delegato ad unum alterumve matrimonium [6].

Opinamur liberae discussioni etiam nunc relinqui quaestionem controversam circa ea quae sunt necessaria ut error communis de quo agit c. 209 revera exsistat in casu sacerdotis carentis delegatione ad assistendum matrimonio. Error videtur potius dicendus particularis quoties versatur circa potestatem sacerdotis, qui censetur competens ad assistendum uni alterive matrimonio; si ipse

[5] LINNEBORN, *Eherecht*, p. 350, not. 2.

[6] WLAMING-BENDER, *o. c.*, p. 421.

de facto carens delegatione assistit matrimonio, hoc erit invalidum; in hoc enim casu nequit invocari ratio *boni communis* fidelium, cum ex hypothesi possibilitas usus huiusmodi potestatis existimatae ad unum alterumve matrimonium circumscripta maneat [7]. Iam vero ratio adduci solita ad admittendum errorem communem de iure petitur ex necessitate providendi *bono communi* fidelium.

Ex alia parte nemo non videt observantiam diligentem regularum ab Ecclesia sapienter latarum circa ea quae sunt necessaria ad delegationem valide conferendam quoad assistentiam in matrimoniis, quamplurimum conferre ad bonum commune. Nisi agatur de vicariis cooperatoribus, potestas delegata debet conferri determinato sacerdoti ad determinatum matrimonium. Haec autem accurata determinatio personarum quam utilissima est ad certitudinem habendam, primum circa ipsam validitatem matrimonii et dein circa verum statum personalem fidelium. Itaque, sensus responsionis datae hic esse videtur: Non obstat applicationi praescripti c. 209, si casus ferat, quod potestas assistendi matrimonio sit *delegata*. Quando autem detur de facto error communis, qui permittat hanc applicationem, non ex data responsione sed aliunde erit deducendum.

D. *An praescripta canonum 197, 919, 206-209, de potestate iurisdictionis applicanda sint, nisi natura rei aut textus contextus legis obstet, potestati dominativae quam habent Superiores et Capitula in Religionibus et in Societatibus sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis publicis.*

R. *Affirmative.*

In Superioribus et Capitulis religionum clericalium

---

7 Cfr. Decr. S. R. R., 13 iunii coram F. BRENNAM, *Ephem. i. c.*, IV, p. 164; *Period.* XXII, p. 199*, ubi a P. FABREGAS fuse idem exponitur; contrarium videtur innui in *Th-Prakt.* 2 (1953), p. 130.

exemptarum duplicem adesse potestatem, dominativam sc. et iurisdictionis docemur in c. 501 § 1. Aliis vero Religionibus sola competit potestas dominativa; idem maiore ratione est dicendum de Societatibus in communi viventium sine votis publicis. Vi potestatis dominativae possunt inter alia Superiores iubere quae ad ordinem et disciplinam domus servanda sunt necessaria, urgere insuper exsecutionem constitutionum et praecipere etiam in virtute oboedientiae quaecumque spectant ad religiosam observantiam [1]. Vi potestatis iurisdictionis possunt Superiores maiores religionum clericalium exemptarum plures dispensationes in iure communi concedere, exercere potestatem iudicialem et coactivam [2] etc.

Patet omnem potestatem iurisdictionis esse publicam. Potestas dominativa certo est privata cum inservit ad gubernandam societatem sub omni respectu privatam; non vero omnem potestatem dominativam esse eo ipso mere privatam recte asserunt plures scriptores, quorum nonnulli id validis rationibus ostendunt [3].

Codex memorat non semel potestatem dominativam, sed nullibi tradit principia et normas quibus eiusdem usus regi debeat, etsi exercitium potestatis iurisdictionis fuse et accurate determinaverit pluribus canibus.

Hinc est quod sponte veniebat in mentem non paucis posse extendi, cum casus ferat, ad potestatem dominativam quae in citatis canonibus explicite de sola potestate iurisdictionis edicuntur. « Ex generica illa inscriptione (sc. tit. V l. II) non coarctata ad solam iurisdictionem, ait Maroto [4], potest quis argumenta trahere ut regulas hic directe pro iurisdictione traditas applicet proportionali-

---

1 Wermeersch-Creusen, *Epit. i. can.*, I, n. 620.

2 *Ibid.*, n. 191.

3 Praestat inter omnes Rev.mus P. Larraona qui ample et profunde totam hanc quaestionem pertractat, cfr. *Acta congressus iurid. intern.* IV, p. 151.

4 Maroto, *Inst. i. can.* I, n. 694.

ter etiam aliis fori externi potestatibus non iurisdictionalibus, puta oeconomicae, quae parochi competit, dominativae quae Superioribus religiosis non exemptis etc. Alii non audent hanc propositionem implicitam acceptare, sed recurrunt ad c. 20 cum necessarium videatur applicare ad potestatem dominativam quae in praedictis canonibus explicite de sola potestate iurisdictionis statuuntur »[5].

